

iam De benefic. part. 5, cap. 9, num. 128.

(32. Imo juspatronatus ex privilegio quocunque, etiam Papali, ante concilium Tridentinum concessum, revocatum est in totum, etiam cum quasi possessione inde secuta, ab eodem concilio sess. 25, de reform., cap. 9. Parisius De confident. q. 28, num. 239 et sequent. Seraphin. dec. 1395, num. 4. Gonzal. ad Reg. 8. Cancellariæ glossa 18, n. 18. Barbosa super Trident. d. sess. 25, cap. 9, num. 68, et lib. III Juris Eccles. univers., cap. 12, num. 63 et 64. Garcias De Beneficiis, part. 5, cap. 9, a num. 115, ubi num. 118, ex declaratione Sacre Congregationis addit, sublata esse omnia privilegia, etiamsi habeant clausulam, quod juspatronatus ex privilegio concessum sit ejusdem valoris ac roboris, ac si esset ex fundatione, ædificatione, aut dotatione, cum sit ad instar, et non proprie ex fundatione, ædificatione aut dotatione. Unde qui juspatronatus ex titulo solius privilegii manutenere vult, debet docere, quod illud habeat a Summo Pontifice post tempora concilii Tridentini concessum cum clausula derogatoria ejusdem concilii; Pirhing. lib. VI Decretal., tit. 38, num. 12. Reiffenstuel ibid., n. 12. Azorius p. 2, l. 6, c. 19, n. ult., et alii.

(33. Advertendum hic tamen venit, quod quamvis concilium Tridentinum, d. sess. 25, cap. 9, De Reformat., in totum prorsus abrogaverit juspatronatus ex privilegio una cum quasi possessione; hoc tamen non procedit in jurepatronatus ex privilegio concessio 40 annis ante publicationem ejusdem concilii, cum tale juspatronatus non cadat amplius sub revisione Ordinarii. Rota part. 13, recent. dec. 492, n. 8. Barbosa in collectan. ad concil. Trident. c. 19, sess. 25, De reform., num. 85, ubi adducit alias Rotæ decisiones. Garcias, loc. cit., c. 9, n. 124. Addenda ad Gregor. dec. 397, num. 6, vers. Prædicta indubitanter. Filliucius t. III, tract. 44, cap. 2, n. 62, et alii passim. Neque procedit in jurepatronatus concessio ex titulo oneroso propter augmentum dotis: Rota part. 13, recent. dict. dec. 492, num. 6. Addend. ad Gregor. cit. dec. 397, num. 6, vers. Prædicta indubitanter. Rota coram Seraphin. dec. 490, n. 2. Garcias loc. cit., cap. 9, num. 120. Gabriel cons. 195, num. 1 et 2, lib. I. Lotter De re benefic. lib. II, qu. 8, n. 12 et seq., et num. 25, et alii.

(34. Juspatronatus acquiritur, præscriptione contra ecclesiam liberam, seu nondum patronatam ex multiplicatis presentationibus per tempus immemorabile; sic expresse statuit concilium Tridentinum sess. 25, c. 9, De reform. ibi: « Sive etiam ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. » (35. Ad hoc autem, ut dicantur præsentationes multiplicatæ, duas sufficere asserunt Riccius in Praxi fori Ecclesiasticæ, resolut. 127, in fine: Castropalao tom. II, tract. 13, disp. 2, punct. 3, num. 4. Barbosa in Collectan. ad concil. Trid. d. sess. 25, cap. 9, De reform. n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis, arg. c. Pluralis 40, de Regul. in Juris 6,

ibi: « Pluralis locutio duorum numero est contenta. » (36. Tempus vero immemorabile, quantum ad præsens, censetur tempus quadraginta annorum in personis, ubi non præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione, arg. cap. De quarta 4, c. Ad aures 6, c. Illud autem 8, etc. Quia indicante 9 De præscriptionibus, ubi habetur clare decisa, quod contra ecclesiam jura episcopalia, decimas et hujusmodi quadraginta annorum spatio præscribatur. Sic per doctrinam Glossæ communiter receptæ in cap. 1 De præscriptionibus in 6, tenent Baldus De præscript. part. 2. Quintæ partis quæst. 6, num. 43, Mascardus De probat. Conelus. 138. Moneta De decimis cap. 5, num. 76. Aloysius Riccius in tract. De novissim. probat. Juspatronat., resol. 70. Barbosa in Collectan. ad Tridentinum, cit. sess. 25, cap. 9, De reformat. num. 44, et lib. III Juris ecclesiasticæ univers., c. 12, n. 75, cum pluribus aliis ibi citatis. Rota in Sorana Juspatronatus 28 April. 1603, in Jacen. Parochialis 27 Junii ejusdem anni coram card. Pamphil. senior.

(37. Aliter autem discurrendum est de tali præscriptione in personis, ubi præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione. Et ad hoc datur dispositio concilii Tridentini d. sess. 25, c. 9, De reformat., ibi: « In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id jus (patronatus) plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio eis aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. » (38. Personæ vero, et communitates seu universitates, in quibus præsumitur juspatronatus esse ex usurpatione, sunt ex declaratione Sacre Congregationis apud Gonzalez in Regul. 8, Cancell. glossa 18, a n. 66, omnes potentes, et omnes perpetuam jurisdictionem habentes in loco beneficii, seu ecclesiæ juspatronatus; ut nobiles, barones, comites, marchiones, principes, duces, reges, imperatores, universitates et communitates.

(39. Juspatronatus acquiritur præscriptione contra ecclesiam non amplius liberam, sed jam patronatam, seu potius contra patronum per tempus ordinarium, scilicet decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes cum titulo: Sine titulo autem triginta annorum cum bona fide, sicuti præscribi possunt alia jura, et bona immobilia contra privatos, l. I Cod. de usucap. transformand. et § 1 Inst. de usuc. leg. Sicut in rem, Cod. De præscrip. 30 vel 40 annor., et concordat textus in cap. Sanctorum 3, De præscriptionibus. Et ex communi docet Covarruvias in Regul. Possessor. part. 2, § 16, n. 6. Lessius lib. II, cap. 6, dub. 10, num. 33. Molina disp. 70, num. 2. Lugo disp. 7, n. 99. Pirhing. lib. II Decretal., tit. 26, num. 118. Et ratio est, quia hoc casu non præscribitur

contra ecclesiam, cujus parum interest nunc vel illum habere patronum privatum, et æque evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit ecclesiæ, quam prior ejusdem patronus, contra quem præscribitur, ut recte observat Molina De justitia et jure, cit. disp. 70, num. 2. Sed solum præscribitur adversus priorem patronum, qui non gaudet speciali privilegio, ut longiore tempore quam ordinario a jure statuto contra illum præscribi debeat.

(40. Si quis autem quibusdam annis sit absens, et quibusdam præsens, adjiciuntur ei super decennium, tot anni, quot annis ex decennio fuit absens, textu expresso in authent. Quod si quis, Cod. De præscription. long. temp., ibi: « Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens; hac tamen intelligentia, et advertentia, ut communiter notant doctores, quod unus annus præsentiae æquivalet duobus annis absentiae, et vicissim duo anni absentiae faciant unum annum præsentiae. Unde si quis per octo annos fuerit præsens, et deinde per duos absens, alii duo anni sint superaddendi, ita ut hæc præscriptio ante annos duodecim non compleatur. »

(41. Ad hanc præscriptionem contra ecclesiam jam patronatam, seu potius contra patronum, sufficit cum tempore debito unica præsentatio facta, et suum effectum sortita, et non requiruntur plures. Communis cum Rota in Bergomen. Capellanæ 18 Maii 1629, coram Merlino, Barbosa in Collectan. ad concil. Trident. d. sess. 25, cap. 6, n. 22. Reiffenstuel, lib. III Decretal., tit. 38, num. 16. Et ratio est, quia de jure communi non requiruntur plures, sed sufficit unus actus presentationis ad constituendum aliquem in possessionem, dummodo interea non evenierit alius casus presentationis, ut recte observat Barbosa loc. cit. Nec officit, quod concilium Tridentinum loc. cit. requirat ad hoc multiplicatas præsentationes, ibi: « Ex multiplicatis presentationibus; » quia ut communiter advertunt doctores, concilium ibi loquitur de præscriptione contra ecclesiam liberam, et nondum patronatam, quam in libertate conservare summo opere intendit; non autem de præscriptione contra ecclesiam jam patronatam, seu potius contra patronum, qui non gaudet speciali privilegio, sed sola ordinaria dispositione juris communis, ut jam fuit dictum supra, num. 39.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Definit in hoc articulo Auctor juspatronatus, tum dividit, et demum de modis agit originariis illud acquirendi.

(42. Reale juspatronatus, de quo agit Auctor, n. 1, subdividendum est in regium, feudale et privatum. (43. Regium, quod ad imperatorem, et reges, seu regna possident, aliosque sublimes ac supremos princi-

pes jura imperii in dominiis suis habentes pertinet: ex Trident. sess. 25, De reform., c. 9. (44. Feudale juspatronatus appellatur, quod Feudo, rei que feudali adnexum est, et Feudatario competit ratione investituræ feudalis, vel universæ feudi possessionis, nequaquam vero intuitu personarum, et sic ad possessorem feudi transit cum universitate illius. (45. Privatum denique est, quod non propter feudum, vel feudalem investituram, sed alio quovis titulo possidetur nedum a personis privatis, sed etiam a feudatariis tanquam allodiale, seu Burgensaticum.

(46. Plura habet præcipua juspatronatus regium. Illud non comprehenditur sub quacunque reservatione, non facta ejus speciali mentione; Rota in Colon. Præposituræ 1 Decembris 1727, § Adjuvatur, cor. clar. mem. Calcagnin. Minusque venit sub qualibet derogatione citra etiam specialem mentionem. (47. Quinimo « quamvis (ait idem supremum Tribunal in d. Colonien. Præposituræ 2 Decembris 1727, d. § Adjuvatur, cor. clar. mem. Calcagnin.) Romani pro tempore Pontifices absoluta beneficiorum potestate fruuntur, nihilominus frequenter indulgent Curiae stylo non derogandi regum, supremorumque principum patronatibus, eorumque devolutiones non perquirendi, etiamsi vacationes in Curia contingant. » (48. Et, ut alia missa faciamus, nullum in jurepatronatus regio currit tempus ad præsentandum; Antunez De donat. Reg., part. 3, cap. 27, n. 124. Piton. De controvers. patron., alleg. 19, n. 13. Rigant. in Comment. ad regul. Cancellar., regul. 42. Sacrum Auditorium in d. Colonien. Præposituræ 2 Decembris 1727, § Animadvertibat, et seq. cor. clar. mem. Calcagnin. in Compostellana Parochialis 29 Mart. 1756, § 9, et 5 Julii 1756, § 6, et 10 Decembris § 9, cor. Emin. Bussio.

(49. Feudale juspatronatus ob dominium directum Feudi quod apud regem est, et regium dijudicari debet; Gagliard. De jurepatr., cap. 3, n. 14. Antunez De donat. Reg., lib. III, cap. 20, n. 1. Rota in Compostellana Parochialis 29 Martii 1756, § 9, et 4 Julii 1756, § 5, et 10 Decemb. 1756, § 10, cor. Em. Bussio. (50. At non omnes effectus juspatronatus regii tribui queunt jurepatronatus feudali. (51. Notabile enim est, quod feudatarii intra quatrimestre præsentare tenentur. (52. Reges enim et supremi principes nullum habent tempus præfixum ad præsentandum, eo quia maximæ curæ quibus tum pacis, tum belli tempore occupantur, quotidianum impedimentum præbere censentur, quominus de præsentatione cogitent. (53. Hæc autem ratio locum quoad feudatarios haud sibi vindicat, Gagliard. De jurepatron., cap. 18, num. 28. (54. Rota vero in mox dicta compostellana Parochialis videtur sensisse, quod et Feudatariis nullum currat tempus ad præsentandum.

(55. De jurepatronatus privato reali plures occurrunt inspectiones. Potissimum est illa,

quando vere juspatronatus privatum sit reale; vide Rot. in Viterbien. Capellanæ 3 Jul. 1718, cor. bon. mem. Gamach. et in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1731, cor. bon. mem. Ratio. (56. Solet etiam maxime inquiri in quos transeat hoc juspatronatus privatum reale. Confer Rot. in Carinolen. Canonatus 2 Maii 1738, cor. clar. mem. Millin.

(57. Inter originarios modos acquirendi juspatronatus Auctor n. 22 refert et fundationem, eam accipiendo pro simplici donatione fundi seu loci ad ecclesiam ædificandam, adeoque distinguit fundationem ab ædificatione et dotatione. (58. Vetus est hic error Gloss. in Can. Piæ Mentis 16, quæst. 7. (59. At is confutatus jam fuit a Francisco de Roye De jurepatron., cap. 13. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia canonica verb. Patronatus cap. 3, num. 3, et plus. seq. aliisque. (60. Reædificatione et redotatione quando acquiri possit juspatronatus jam constitutum, vide apud Gagliard. De jurepatr., cap. 5, n. 28.

(61. De jurepatronatus reali seu annexo aliqua hic addere inutile haud est. Porro si agatur de beneficio ab antiquo fundato, posito in oppido, cui annexum præstenditur, et dotato præterea ex ejus redditibus, præsumptio est pro annexione jurispatronatus oppido illius, etiamsi desit instrumentum fundationis, ita ut qui contrarium præstendit, eam excludere teneatur; Confer Bohemer. in Decretal. lib. III, tit. 38, § 107. Adde Piton. De Controvers. patronor., alleg. 100, num. 21. Fagn. De jurepatr., part. II, can. 14 et 15, cas. 2, n. 12 et seq. Rota coram Caprar., decis. 214, n. 7 et 15, coram Molin., decis. 609, n. 16, et in Constantien. Juris nominandi 26 Junii 1751, § 6, coram bon. memor. vicecomit.

(62. Observantia quoque declarare potest an juspatronatus sit annexum, nec ne. Si enim ille semper præstentur, qui potiti sunt oppido, cui præstenditur annexum, pro annexione respondendum est, tum concurrentibus circumstantiis mox expositis, tum etiam his non concurrentibus; Lotter. De re benefic., lib. II, qu. 4, n. 98. Dunod. De Præscript. bon. Eccles., p. 33, edit. Paris. anni 1753. Rota coram Kaunitz. decis. 204, n. 1, in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1711, § 16, coram bon. mem. Ratt. inter impress. decis. 300, num. 3 et seq.

(63. Posita vero adnexione dubitari solet utrum juspatronatus quoad exercitium spectet ex æquo ad omnes possessores oppidi illius, an pro partibus ejusdem. Ex æquo pertinere videtur sentire Franciscus de Roye in Prolegom. ad tit. De jurepatron. c. 19, § Sed eam. At prævaluit opinio tenens, quod spectet pro partibus, cardinal. de Luca. De jurepatron., discours. 61, n. 6. Rota coram Molin., decis. 947.

ARTICULUS II.

Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus in alios translationem et ejusdem amissionem.

SUMMARIUM.

1. Juspatronatus primo transit per successionem hæreditariam; et assignantur hæredes, ad quos transire potest, et quomodo, ad n. 24 — 25. Secundo, transit de uno in alium per donationem, et quomodo talis donatio fieri possit, et ejus consensus requiratur, ad n. 42 — 43. Tertio, transit de uno in alium per permutationem; et quomodo permutatio fieri possit, ac debeat, ad n. 50 — 51. Quando transfertur de uno in alium per venditionem; et talis venditio per singulas sui partes late explicatur, ad n. 70 — 71. Assignantur varii modi, seu causæ, quibus amittitur, et penitus extinguitur juspatronatus, ad n. 83. — 84. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 94.

1. Juspatronatus quatuor modis ab uno in alium transferri potest, scilicet, *Successione, Donatione, Permutatione et Venditione*. Communis cum Glossa in cap. Piæ mentis 26, caus. 16, q. 7, et in cap. Cum sæculum 13, De Jurepatronatus, verb. Emptorum, ubi dat sequentes versiculos:

Jurapatronatus transire facit novus hæres,
Et res permutata, donatio, venditioque.

(2. Primo igitur modo juspatronatus transit per successionem hæreditariam cum universitate bonorum ad quoscunque hæredes, tam mares quam feminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento succedant, arg. cap. *Perlatum est* 1. Et cap. *Ex litteris* 7. De jurepatronatus, et Clementin. 2, eod. tit. Et sic tenet Abbas in cit. cap. *Perlatum est*, n. 2 et sequent., et ibi Fagnanus, n. 12 et 13, et Barbosa num. 9; Pirhing lib. III Decretal., tit. 28, n. 44; Reiffenstuel ibid., num. 18, et Communis aliorum. Jura enim indistincte loquuntur de hæredibus patroni, nulla expressa differentia, sive hæredes sint masculi, sive feminæ, sive necessarii, sive extranei, sive hæredes sint ab intestato, sive ex testamento; ubi autem jura indistincte loquuntur, indistincte etiam sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, cap. *Quia circa* 22, De privileg. et l. De pretio, ff. De publiciana in rem actione.

(3. Hinc, si filia sit hæres cum fratre, æque cum illo succedit in jurepatronatus hæreditario. Communis, arg. Citatis juribus. (4. Item, si filius, vel filia non sit hæres patris sui, ex quo vel exhæredetur vel repudiet hæreditatem, non succedit in jurepatronatus hæreditario; quia hoc veluti accessorium sequitur hæreditatem. Communis. (5. Item, si filius vel filia instituatur a patre in re certa, et extraneus instituatur hæres universalis, juspatronatus hæreditarius transit ad extraneum hæredem, et non ad filium, nec filiam, quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet, et filius institutus in re certa habetur in loco Lega-

tarii: 1. penultim. Cod. de hæred. institut., adeoque, cum non sit hæres, non potest consequi juspatronatus hæreditarius. Communis. (6. Excepiendus est tamen casus, quo tali rei certæ, v. g. castro, pago, palatio, vel fundo, in quo instituitur, esset inseparabiliter annexum ipsum juspatronatus, quia tali casu juspatronatus non transiret ad extraneum hæredem universalem, sed ad filium in tali re certa institutum; cum juspatronatus transeat semper cum re, cui est inseparabiliter annexum, arg. cap. *Ex litteris* 7 De jurepatronat., et ibi Fagnan., num. 3. Barbosa n. 2. Canisius in cap. 1 et 2, n. 5, De jurepatronat. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, num. 44. Reiffenstuel. ibidem, num. 10, et alii. Accessorium enim naturam sequi congruit principali, ut expresse dicitur in cap. *Accessorium* 42, De reg. juris. in 6.

(7. Quando plures sunt hæredes unius patroni, succedunt omnes æquali jure, quamvis in partibus inæqualibus sint instituti hæredes, unde in solidum tale juspatronatus possidere debent, nec inter se illud dividere possunt; cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronatus, et Glossa ibid., verb. *Dividi non debeat*, et doctores communiter, arg. l. Via 17, ff. De servit. leg. Si sepulchrum, Cod. de Religios. et sumpt. fun. l. 1, § Si Ususfructus, ff. ad l. Falcid. et leg. Usus, ff. De usu et habit. (8. Possunt tamen dicti plures hæredes inter se pasci et convenire de rectore alternis vicibus præsentando, hoc est, quod unus præsentet prima vice vacationis beneficii seu ecclesiæ, alter secunda, et alter tertia. Communis, texto expresso in Clementina Plures 2, De jurepatronatus, ibi: « Et ut facilius provideatur ecclesiis, non inconveniens reputamus patronos ipsos inter se posse libere conveniri de rectore ab eis alternis vicibus præsentando. » Glossa ibid., verb. *Alternis vicibus*. (9. Item possunt compatroni et hæredes eorum inter se dividere menses, ita ut, si mense Januario vacat ecclesia, seu beneficium, præsentet unus, si in Februario præsentet alter, etc. Vel etiam si plura beneficia conferenda habent, unus ad hoc, et alter ad illud præsentet: Communis, arg. cit. Clementina Plures.

(10. Et has conventiones possunt compatroni ac hæredes inter se inire absque ullo consensu episcopi arg. cit., Clementina Plures, ibi: « Inter se posse libere convenire, » et ibi Glossa verb. *Libere*. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat., n. 6. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 46, § 1, n. 58. Barbosa De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, n. 28, et seq. Pirhing l. III Decretal., tit. 38, n. 46. Reiffenstuel ibid., n. 23, et communis aliorum.

(11. Etiam juspatronatus gentilitium, scilicet reservatum illis qui sunt de familia seu agnatione fundatoris, extincta familia, seu agnatione, transit ad hæredes extraneos, nisi in prima fundacione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. Rota in causa Cremonensi jurispa-

tron. die 6 Jan. 1578, coram Cardin. Seraphin., ut in ejus impressis dec. 361, quæ postea confirmata fuit sub die 21 Novemb. ejusdem anni ut dec. 378, et concordat Rota dec. 383, per tot. coram Robustero part. 1, diversar. Cassad. dec. 1, n. 3, De jurepatronat. Ancharanus cons. 81. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat. n. 25. Pirhing, loc. cit., n. 53. Reiffenstuel loc. cit., n. 24, et alii passim. Et ratio est, quia reservatio jurispatronatus facta in prima fundacione a fundatore pro illis qui sunt de sua familia, seu agnatione, non addita particula taxativa tantum, vel alia simili, intelligitur solum facta cum ea restrictione, ut tale juspatronatus non transeat ad hæredes extraneos, durante sua familia, seu agnatione; ergo secus intelligitur facta pro casu deficientis suæ familiæ; tum quia casus a fundatore omissus relinquitur dispositioni juris communis; argum. l. Commodissime, ff. De liber. et posthum. l. Si cum dotem, ff. Solut. Matrim., l. Si extraneus, ff. De condict. ob caus. Atqui casus deficientis suæ familiæ fuit a fundatore omissus, ergo est relinquendus dispositioni juris communis, quo statutum est, ut juspatronatus transeat etiam ad hæredes extraneos, juxta dicta supra n. 2. Sic enim dispositio hominis convenit cum dispositione legis, et utraque servatur in suo casu; scilicet dispositio hominis quando duraverit sua familia; dispositio autem legis, quando illa defecerit.

(12. Si autem fundator expresse statuit cum particula taxativa tantum, quod tale juspatronatus transeat ad illos solum qui sunt de sua familia, seu agnatione, non vero ad eorum hæredes extraneos, tunc ad ipsos non transit, et extincta familia, extinguitur juspatronatus, et ecclesia, seu beneficium remanet liberæ collationis. Et ideo notanter fuit dictum in conclusione sub n. antecedente. « Nisi in prima fundacione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. » Et ratio est, quia fundator potest in fundacione remittere juspatronatus, vel in totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium descendantium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, arg. c. *Significavit* 41, De testibus, et cap. *Si laicus unicus*. De jurepatronatus in 6. Sic tenet communis cum supradictis.

(13. Juspatronatus, quamvis transitorium ad hæredes extraneos regulariter non transit ad substitutos, seu fideicommissarium etiam universalem, sed remanet penes hæredem directum, seu gravatum. Rota part. 5, recent. tom. II, dec. 543, n. 9 et 19, part. 6, decis. 89, n. 27, part. 7, decis. 72, a n. 7 usque ad 18, p. 9, tom. I, decis. 206, n. 5, 8 et 14, part. 12, decis. 400, num. 1, part. 13, decis. 64, n. 4, et sæpe alibi. Et sic tenet Communis doctorum, cum Barbosa in cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat., num. 10 et 11, et Garcias De benefic., part. 5, cap. 9, num. 17, ubi n. 13 et 19, ait: « Juspatronatus personale et non annexum bo-